

Philosophi & prophetæ scientiarum domini, huius sapientiæ series
 in scripturis deposuerunt velatas, propter plures causas. Pri-
 ma est Hamuelis in Seniore, vt attribuerent illam domino glo-
 rioso, vt revelaret illam cui veller, & prohiberet illam à quo
 veller. Nam vt dixit Morienus ad regem Calid: O bone rex,
 scire te cõvenit, quod hoc magisterium nihil aliud est nisi secre-
 tum secretorum, & arcanum Dei altissimi & magni. Ipse enim
 hoc magisterium suis prophetis mādavit quorum animas in
 paradyso suo collocavit. Si autē sapientes, qui post illos fue-
runt, suas dispositiones de qualitate vasis in quo conficerent
nō invenissent, nunquam ad huius magisterii perfectionem
 pervenire potuissent, & in eodem libro postea alibi dicitur: &
 scire te convenit, quod intentio omnis hominis, hanc scien-
 tiam puram & divinam inquirentis, nihil aliud arbitrari debet
 nisi donum Dei altissimi, & magni, qui eam servis suis com-
 mendat, cuius nomen sit benedictum. Secunda causa est in
libro luminum Rasis: postquam multa de dispositione artis
docuisset, dicit: Quamvis omnia dilucide præmissa sunt, ido-
neum tamen arbitror, quã plurima sub ænigmatis specie in-
volui. Si enim omnia prout se habent, vellem enodare, nul-
lus ultra prudentiæ locus esset, cū insipiens sapienti æquare-
tur, nec sub circulo Solari vel Lunari, quisquam mortalium
paupertate noverca medias angustias defleret. Tertia causa
 velationis huius scientiæ legitur, ne detur occasio malignan-
 di pravis, hæc scientia occultatur in verbis obscuris, vnde bo-
 nis celari non debet. Dicit assiduus, quidam ex philosophis
 Dominum timentes, non tam sublime, nec tam pretiosum hoc
 magisterium habuerunt. Immo opus suum patens & manifestum
 scribere voluerunt: sed expavescebant hæc agere, eo, quod
 mundum deleret, & opus aradi & ferendi plantarum periret.
 Ergo non frustra libros suos scripserunt velatos, nec eventum
 composuerunt. Quarta causa obscuritatis legitur in fine tur-
 bæ philosophorum, vbi dicitur: Nisi enim nomina multi-
 plicarentur in hac arte nostra, sapientiam nostram pueri de-
 rideret. Quinta causa est Mundi philosophi in Turba, dicit
 enim: Si plebei venditores hanc mineram agnoscerent, non
 venderet eam vili precio. Aruberes in eodem libro. Et si reges
 eam agnoscerent, non sinerent eam ad pauperes devenire.

Libri autem Philosophorum, quanquam obscuri, tamen
 valde utiles sunt ingeniosis hanc scientiam inquirentibus,
 quæ sine literarum cognitione haberi non potest. Vnde Pytha-
 goras in Turba; Quanto plus libros legebam, tanto magis
 agno;

Caus. occul-
 tationis
 1

Vasis in
 vasis.
 Qualitas.

2

Causæ occul-
 tate artis.

3

4

5

Lectio est
 necessaria.